

PRAEFATIO

EDITIONIS VI.

Quam explicandis Horatii operibus per septem lustra continuam navavi operam et industriam, eam ne nunc quidem, cum divendita superiorum editionum satis magna copia sextum liber esset emittendus, Venusino poetae detraxi. Luciani Muelleri, Lehrsii, Kelleri Holderique editiones comparavi, aliorum vel libros vel commentationes diligenter legi, et quicquid vel in poetae ipsius versibus vel in meis adnotationibus minus bene scriptum esset, id accurate emendare studui. Inde factum est, ut lectiones septies mutare cogerer: Carm. III, 14, 11. Sat. I, 6, 75. I, 7, 34. II, 3, 183. 216. Epist. I, 6, 35. II, 1, 198; cur ita videretur, in ipsis locis ostendi. Denique hoc quoque profitendum est, nunc me orthographiam latinam ad eam rationem, quae a *Brambachio* probata est, accommodasse; in qua re illud me maxime movit, quod rectores scholarum, qui ex tota hac Silesiarum provincia ante annum et dimidium Suidnitiam conveniant, prope omnes mecum consentiebant, curandum esse, ut in scribendis latinis verbis non minus quam in patriis tandem ea, qua nunc luxuriamur, licentia

depelleretur; nec melius id aut rectius fieri posse, quam si *Brambachium* ducem sequentes eam amplecteremur normam, quam Quintilianus eiusque aequales constituisse viderentur.

Restat, ut hanc quoque novam editionem aequitati et benevolentiae virorum doctorum enixe commendem.

Vratislaviae Idib. Februar. MDCCCLXXV.